



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvatii Ordinis F. Minorum de  
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;  
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis  
neceßarium**

**Cambi, Bartolomeo**

**Coloniae, 1606**

Expositio salutationis Angelicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

PARS TERTIA. 451

etiam purgatorij, quod à te Pater  
amantissime peto, non ob tormen-  
torum euasione, sed ob ingens tui  
amoris desiderium, eò quod in his  
locis à tuo amore præpediar: si  
enim in Inferno fuero, te nunquam  
videre potero, ac proinde nec ama-  
re: Si verò in purgatorio, prærahe-  
tur desiderium meum, quo te post  
mortem videre ac perfriui cupio.

Largire itaque mihi Domine a-  
morem tuum, quo remittantur mi-  
hi peccata mea quibus anima mea  
mille Infernos promeretur: Incède  
cor meum in hoc mundo tui amo-  
ris igne, vt in presenti vita diligen-  
ter purgatus, merear in extremo ar-  
ticulo mortis de te gaudere, atque  
in caelis cum omnibus Angelis &  
sanctis tuis in saecula saeculorum te  
possidere. Amen.

EXPOSITIO SALVTATIO-  
NIS ANGELICAE.

*Intellectum illuminans & ad amo-  
rem vnitium gloriosissima Vir-  
ginis perducens.*

AVE



**A**ve Regina coeli & terræ, quæ  
fuiſti, es, & eris ſemper ſine  
væ peccati, miſerię, & ignis æterni,  
ac in omnē æternitatē beatiffima.

Tunc anima mea væ peccati &  
miſeriarū immerſa, atq; in magno  
periculo in vę ignis ſempiterni cor-  
ruendi conſtituta, liberabitur ab  
omni væ, cū ſæpe ſalutationem  
hanc frequentauerit. Aue Maria.

Aue igitur. Aue, & millies Aue  
Maria.

O Virgo dulciſſima, quando tibi  
adeò deuotus ero, vt ſemper in cor-  
de, ſemper in lingua habeam hoc  
verbum. Aue Maria.

O quando adeò liber ero ab om-  
ni vę, vt aſſiduè cantare poſſim hoc  
verbum. Aue.

O quis me à miſerijs meis & væ  
vindicet, vt inceſſanter & dulciter  
clamare queam: Aue, Aue Maria.

MARIA.

Sanctiſſimum, dulciſſimum, &  
ſuauiſſimum eſt nomen tuū, & tibi  
cōuenientiſſimum virgo Maria. Es

BAR.



namq; mare amarum: maris stella:  
illuminata & illuminatrix. Es Do-  
mina, Regina, & Imperatrix.

Mare amarū es Dēmonibus: Stel-  
la maris hominibus in hoc mundo  
errantibus: Illuminatrix Angelis in  
cœlo gaudentibus: Domina & Re-  
gina creaturarum omnium visibi-  
lium & inuisibilium, in cælo & ter-  
ra existentium.

Respice anima mea, hæc est Do-  
mina tua, hæc mater tua.

O cæca & tenebris circumfusa  
anima mea, hanc aspice si illumina-  
ri & à cæcitate liberari cupis, ad  
hanc in hoc mari procelloso, ac pe-  
riculis pleno, oculos erige si tuta  
vis esse.

In mari hoc amaro te per deuo-  
tionem oportet nauigare, si ad por-  
tum salutis appellere desideras.

O Maria mare amarissimū, pro-  
pter dolores ingentes, quos in mor-  
te & vita vnigeniti filij tui Domini  
nostri Iesu Christi sustinuisti.

Quando tecū in hoc mari amaro  
partem habebō?

Quan-



Quando, ô Maria dulcissima, tecum mortem filij tui Domini mei Iesu Christi deplorâdo tuo semper lateri coniunctus ero? Quando vos oculi mei mare lachrymarû præ cõpafsione Mariæ & Iesu profûdetis?

Quando tu cor meum durissimû emollieris liquefies, atque in mare amarum præ cõpafsione Mariæ & Iesu conuerteris. O Maria stella splêdidissima, obsecro te, per tuam elementiam illaccesce mihi.

#### GRATIA PLENA.

O Maria mater mea dulcissima, tu es plena & cumulata omnibus gratijs. Tu in anima & corpore referta est, omnib<sup>o</sup> donis, virtutibus, priuilegijs, & præmijs. Tu ô Regina speciosissima, es adeò gratiosa vt Angelus Gabriel, nomen tuû Mariæ subticuerit, teq; gratia plenam salutaauerit: ac S. Mater Ecclesia te Matrem gratiæ appellet.

O mare & abyssus omnium gratiarum, quando tuorum bonorum me conforté efficies? Quando super hanc aridam animam meam, vel  
unicam



unicam tantummodo guttulam tantarum gratiarum stillabis?

Quando dignus habebor, participatione non dico cunctorum donorum tuorum, sed vel unica gutta tibi superflua esse? O Virgo sanctissima sub umbra tua protege me.

O Maria mater Dei, fac me dignum qui laudes tuas predicem, quavis labijs & ore immundo sim.

DOMINVS TECVM.

O felicissima mulier, caeli & terrae Regina, magna es: quandoquidem Deus de caelis descendit, ut tecum habitaret. Dominus tecum.

Dominus vniuersaliter totius naturae: Dominus speciatim omnium hominum, & tuus praecipue, solus descendit, ut tecum modo admirabili maneret, secundum quem in nulla creatura, nec visibili nec invisibili mansisse reperitur, maneret.

Animaduertis nunc anima mea, quam feruenter huius Mariae matris Dei societatem & amicitiam ambire debeas, quandoquidem Dominus & Deus cum ea est.

Adha-



456 TESTAMEN. ANIMAE

Adhære sanctissimis pedibus huius cælestis foeminae. Constringe illos & amplectere mente deuota, noli ab illis vnquam separari, quia existendo cum illa, es cum Domino Deo, & Patre tuo. ☉

Expande pallium tuum supra me, Virgo sanctissima & sub alis tuis absconde me. ☉

Noli me à te, mater misericordiae, repellere, quia sine te viuere non potest anima nra.

O cælestis Regina, Dominus tecum est, non te à se repulit, sed clementer ad te descendit, vt habitaret in utero tuo: Qua igitur ratione poteris me & omnes peccatores à te repellere? Certè non valebis, quia Dominus meus & tuus Iesus Christus eam ob causam voluit habitare in te?

BENEDICTA TV<sup>o</sup> IN MULIERIBVS.

Benedicta es Domina, & mater mea super omnes femineas, ac proinde benedictio quam tu mater mea sanctissima percepisti, omnem male-



maledictionem ab Eva prima parente nostra profectam sustulisti.

Benedicta es propter plenitudinē gratiæ quam accepisti: propter multitudinē misericordiæ quam mundo peperisti: propter diuinæ personæ sublimitatem, quam vtero cōcepisti: propter magnitudinem gloriæ ad quam in cælis sublimata fuisti.

Quis mihi tribuat vt ab hac foemina super omnes mulieres benedicta nunquam auellar.

Adiunge te illi anima mea, flecte genua coram illa, abijce te ad pedes eius, nec ante recede quam illa tibi benedixerit.

O benedicta à Deo, ac omnibus benedictionibus cumulata, benedic pro tua clementia & pietate afflictæ animæ meæ.

O Iesu quando hoc mihi gratiæ impartieris, vt semper corde circumferam te & dulcissimā Matrem tuam.

Quando cordi meo imprimetur nomen benedictis & benedictæ.

Quando sentiam effundi super me mare benedictionum, per manus Ma-



458 TESTAMEN ANIMAE  
riae matris tui super omnes feminas  
benedictae.

ET BENEDICTVS FRUCTVS  
VENTRIS TVI IESVS.

Et certè quomodo fieri poterat, ut  
hortus ille odoriferus uteri tui caele-  
stibus benedictionibus affluens, ali-  
um fructum quam benedictum proferret.

O Iesu benedictè qui in augustissi-  
mo Beatiss. Virginis MARIAE utero  
in carnari & nouem mensibus requi-  
escere voluisti.

O MARIA quæ digna fuisti Do-  
minum Iesum Christum utero ge-  
stare.

Sic benedictus amantissimus & flori-  
dissimus hortus uteri B. Virg. Mariae.

Sis & tu ô Iesu huius horti suauissi-  
mus fructus benedictus, qui inter ro-  
sas & lilia, ex hoc purissimo utero  
prodiisti.

Sint benedicti Iesus & Maria.

Et tu Iesu Mariae dulcissimus &  
pretiosissimus Filius, sis benedictus.

Et tu lingua mea sis benedicta; nec  
vniquam à laudibus Iesu & Mariae tibi  
requiem concede.

Et



PARS TERTIA. 459

Et tu cor meum sis semper benedictum ab hoc filio, & hac Matre, illosque in medio tui insculptos circumfer.

O Deus, quis cordi meo literis aureis inscribat hæc duo sanctissima nomina Iesu & Mariæ, nomen Iesu ad dexteram, & Mariæ ad sinistram eius partem, Crucemq; in medio eorum: vt quotiescunque Iesum inuocauero, statim etiam ad inuocationem **MARIAE** me conuertam & dicam.

Sancta Maria mater Dei.  
**SANCTA MARIA MATER DEI.**

Ecce dulcissima & piissima Mater misericordiæ, ego indignus filius S. Matris Ecclesiæ sponsæ filij tui te inuoco & aio: Sancta **MARIA** mater Dei. O Sancta, & sanctorum omnium Regina, B. virgo Maria, ad te cõfugio, tanquam ad tutissimum peccatorum omnium, quorũ ego sceleratissimus perfugium: Ego inquam negligenterissimus, frigidissimus, & quadam teporis glacie constrictus: spiritu & deuotione carens, ad Mariam, diuino amore ardentem recurro.

V 2 Ego



Ego vitijs omnibus affinis, & immunditijs refertus: ad te sanctissimam & sanctorum omnium Dominam & Imperatricem, de tua clementia securus confugio.

Ego Pater immanium ac turpissimorum scelerum, ad te purissimam Dei Matrem accurro.

Ego denique Dæmonis filius ob criminum meorum multitudinem & foeditatem, ad te Mariam Dei matrem confugio.

Ad te inquam Dei & hominis genitricem venio. Ad te matrem Iesu veri Dei & hominis confugio, & coram te humillimè prostratus sine cessatione clamo.

ORA PRO NOBIS PECCATORIBVS.

O Mater Dei. Mater etiam & aduocata peccatorum, recordare quod propter nos peccatores Dei filius te in matrem suam elegerit. atque idcirco ad te confugio, rogans te pro me & omnibus peccatoribus in terra existentibus.

O Mater Iesu oculos misericordiz



diæ tuæ ad nos miseros in hac valle  
lachrymarum iacentes conuerte, &  
noli nos relinquere.

Monstra, carissima mater, filio tuo  
mamillas & lac quibus eum nutri-  
uisti. ostende illi brachia, quibus eū  
complexa es: Exhibe illi denique ute-  
rum quo illum nouem mensibus ge-  
stasti, quia hac ratione illum facile  
ad misericordiam permouebis.

Enumera illi dulcissima mater &  
in memoriam reuoca labores & fa-  
tigations quæ pro eo sustinuisti, sic  
namque illum, sua natura ad clemen-  
tiã satis propensum facile commo-  
uebis, ut nostri misereatur.

Adiuua nos, Mater IESVS tot enim  
mala sunt, quæ nos circumstāt & pre-  
munt, ut sine tua ope illa effugere  
non valeamus.

Obsecro te etiã Mater sanctissi-  
ma, pro omnibus hominibus genera-  
liter, & pro singulis specialiter: at  
pro me omniũ miserrimo & nefan-  
dissimo tibi specialius supplico, teq;  
obtestor per amorem quo te DEVS  
dilexit, & per beneficia quæ tibi præ-

V ; stitit



462. TESTAMEN. ANIMAE  
stitit: vt mihi vnam guttam lacris tui:  
& vnam guttam sanguinis Iesu filij  
tui largiaris, vt earum virtute ab om-  
nibus sordibus & immunditijs meis  
emunder, atque ardenti amore erga  
Deum & te succendar.

O purum & nitidum lac: ô pie san-  
guis: ô sanguis Iesu: ô lac Mariæ: vos  
estis dulcissima potio, & saluberrima  
medecina qua omnia vulnera  
mea sanantur: ac proinde ad te ô B.  
virgo Maria pauper & egens confu-  
gio: dicens. Sancta Maria ora pro no-  
bis peccatoribus.

NUNC ET IN HORA MOR-  
TIS NOSTRAE.

Omni tempore tuis sanctis preci-  
bus indigemus B. Virgo MARIA, eò  
quod semper innumeris periculis  
circumdati simus, atque inimici no-  
stri Mundus, Caro & Diabolus vbiq;  
misere nobis laqueos, & offendicula  
ponant.

Verum in morte ope tua maxime  
indigemus, ac proinde adiuua nos  
nunc, & in hora mortis noli nos de-  
relinquere: quandoquidem tu mater  
miseri-



miseri cordiæ non ignoras, quantas  
aduersarij nostri in extremo mortis  
articulo, miseræ animæ insidias ten-  
dant & parent.

Scis etiam dulcissima Mater quam  
horredus est tunc dæmonū aspectus,  
quantaque eorum ferocitas & trucu-  
lencia, cum anima exitura est de cor-  
pore.

Quare ô sancta Virgo. O MARIA.  
O mater DEI tunc miseris succurre,  
tunc auxilium impende, nec in illa  
tremenda hora nos derelinque, quâ-  
doquidem ab illo momento, tota no-  
stra felicitas dependet. Ideoq; in re-  
tanti ponderis ac momenti, totis vis-  
ceribus cordis mei te rogo & dico.

MARIA Mater gratiæ.

Mater misericordiæ.

Tu nos ab hoste protege.

Et hora mortis suscipe.

LAVS DEO VIRGINIQUE  
MATRI.

FINIS.

V 4 IN.